C.S. SCHURZFLEISCHI DISPUTATIONES HISTORICAE CIVILES, ...

Konrad Samuel Schurtzfleisch,
Thomas Haver

Digitized by Google

I.

OLympiades ſunt *τετραετηρίδες*, tametſi interdum *πενταετηρίδες* appellari ſolent, praeſertim a Poetis, qvi licentia artis excuſantur. *Ovidius lib. IV. ep. 6. ex Ponto. In Scythia nobis qvinqvennis Olympias acta eſt.* Ubi auctor notarum non ſatisfecit muneri, et minus accurate expoſuit hanc vocem.

II. Sed nec ipſi Oratores id ſemper obſervant, et recedunt interdum, neqve ſubtilitati ſtudent, et qvinqvennale tempus hoc vocabulo appellant. *Cicero in lib. III. de Oratore, qvi a celebri Chronologo perperam citatur Tuſculan. I.* Vbi cauſae ſervit orator, denotatqve annum præteritae Olympiadis, non autem periodum Olympicam definit, qvippe qvod negotium iis datum eſt, qvi temporis ſupputandi artem tractant.

III. Graeci qvoqve hiſtoriarum conditores locuti ſunt laxius, et ludos Olympicos ſemel atqve iterum *qvinqvennales* vocarunt. Inter hos Pauſanias indicat, qvarto qvoqve anno finito, actos fuiſſe hos ludos. Cicero hoc temporis ſpacium, *qvinqvennali celebritate* deſignavit, eaqve de cauſa paſſim appellati ſunt qvinqvennales. Hinc Pauſaniae ſententiam iisdem verbis exprimit Romulus Amaſaeus, qvam ſimplicius vertas. Qvinto igitur *qvoqve anno conſtituit haberi ludos.* Hoc enim ſonant verba. Διὰ πέμπτου ἔτους αὐτὸν (ἀγῶνα) κατεστήσατο ἄγεσθαι. *in Eliacis I.* Proinde interpretes pleriqve, non improbante Sylburgio, πανήγυριν τὴν ὀλυμπικὴν reddunt qvinqvennalem Olympiae celebritatem, qvos magiſtri huius artis ſeqvuntur.

IV. Qvod non eo valet, ut Olympias luſtro Romanorum aeqvalis ſit, et qvinqve annis definiatur. Cuius ſententiae cum permulti ſunt, tum princeps huius doctrinae Ioſephus Scaliger, qvi ab eo tempore, qvo ludicrum hoc celebrari deſiit, parem Olympiadis, atqve luſtri Iuliani, rationem fuiſſe arbitratur. In qvo et refragatur antiqvitati, et movet terminos Graecorum Latinorumqve auctoritate fixos, *l. V. de emendatione temp.* Contra

qvem

qvem accurate diſſeruit D. *Petavius*, et qvibus par eſt finibus hoc temporis ſpatium circumſcripſit, *lib. IX. de doctrina temp.* Neqve ſibi ſatis conſtat Henricus Glareanus, qvum exiſtimat, hoc intervallum, qvod Olympias ſignificat, apud Romanos vocari luſtrum, *in Chronologia Romana.*

V. Illud omnino affirmandum eſt, annum, qvo ſeqvens Olympias inchoatur, qvintum dici, qvi tamen revera eſt annus primus Olympiadis ſeqventis. Magiſtri artis, qvi temporum rationes conficiunt, plane breviterqve explicant, et *periodum* hanc, ſive ſpacium, qvod Olympias dicitur, ab anno Olympiadico diſtingvunt. Nam periodus ipſa qvatuor duntaxat annos continet, annus autem qvintus dicitur Olympiadicus, qvi tamen non erat qvintus Olympiadis praecedentis, ſed primus ſeqventis. Longe alia fuit ratio luſtri Iuliani, qvod qvinto qvoqve anno exeunte condebatur, ſpatiumqve annorum qvinqve ſolidorum plerunqve comprehendebat. *Qvo in negotio conferre licet Livium cum Dionyſio Halicarnaſſeo.*

VI. Ceterum Olympiades nomine ſuo originem indicant, qvam acceptam ferunt ludis Olympicis, qvi qvinto qvoqve anno, magna totius Graeciae celebritate habebantur. Locus certamini delectus et conſtitutus eſt in Piſaeo Peloponneſi tractu, cuius pars oppidumqve fuit Olympia, antiqvo Iovis fano celebris, unde Jupiter Olympicus eſt cognominatus. Ager Piſaeus deinde Elidi attributus eſt, et exinde Olympia, qvam Alpheus, clarus Peloponneſi fl. alluit, inter oppida Elidis referri coepit. *Vid. Strabo Geograph. lib. VIII. cum qvo iungatur Pauſanias in Eliacis.* Ex hoc colligi poteſt, Olympiam tam de urbe, qvam de victoria efferri. Olympiae huius, et Milonis ſimul ibi ſtadium ingreſſi meminit *Cicero in libro, qvi inſcribitur Cato maior.*

VII. Ludi ipſi nomine Olympiorum celebrati ſunt, qvos dudum a Piſo, Pelope et Hercule inſtitutos, ac vitio temporum aliquandiu intermiſſos inſtauravit Iphitus Rex Elidis, ab Heraclidarum ſtirpe oriundus. V. *Phlegontis Trallian. fragmentum de Olympiis, edit. Meurſianae p. 137.*

IIX. Etſi autem Olympiades multo ſunt antiqviſſimae, tamen computatio, qvae per rationes Olympiadum inſtituitur, ſerius

ſerius adhibita, atqve uſu hiſtoricorum recepta eſt, qvod primi antiqvisſimiqve Graeciae ſcriptores confirmant, atqve inter hos inprimis Herodotus et Thucydides, qvi Olympia qvidem commemorant, ſed rationibus per Olympiadas confectis non utuntur.

IX. Poſtea vero, qvam victorum, qvi Olympionicae dicti ſunt, nomina in tabulas referri coeperunt, certamina multis inde a prima origine ſeculis conſignata ſunt, atqve adeo Olympionicae ſerius, et nonniſi ab inſtauratione Iphitea, memoriam ſui reliqverunt. In qvo genere Timaei ſtudium magnopere celebratum eſt, qvi ſcribendis Victorum Olympicorum nominibus operam dedit, *de qvo vid. Polybius, Diodorus et Suidas.*

X. Diu vero ante tempora Philippi Macedonis, Olympiades receptae et computatae ſunt, ut non fuerit cauſa, qvamobrem Philippus Beroaldus, vir ceteroqvin doctus et diligens putarit, omnes temporum rationes ante Philippi Macedonis tempora dubias eſſe atqve incertas.

XI. In Creta autem, an in Peloponneſo primum inſtituti fuerint ludi Olympici, contrariis pleriqve ſtudiis certant. Non aſſentior V. C. qvi exiſtimat, primos in Certa et inſtitutos, et editos fuiſſe hos ludos.

XII. Primum certamen Olympicum initum eſt anno M. 3208. P. I. 3938. poſt Trojae excidium A. 408. ante N. C. 776. cum Athenis Aeſchylus, Lacedaemone Alcamenes regnaret. Qvi diſſentiunt, rationes turbant, et ex ingenio artem computandae Olympiadis fingunt.

erius adhibita, atqve uſu hiſtoricorum recepta eſt, qvod primi antiqvisſimiqve Graeciae ſcriptores confirmant, atqve inter hos inprimis Herodotus et Thucydides, qvi Olympia qvidem commemorant, ſed rationibus per Olympiadas confectis non utuntur.

IX. Poſtea vero, qvam victorum, qvi Olympionicae dicti ſunt, nomina in tabulas referri coeperunt, certamina multis inde a prima origine ſeculis conſignata ſunt, atqve adeo Olympionicae ſerius, et nonniſi ab inſtauratione Iphitea, memoriam ſui reliqverunt. In qvo genere Timaei ſtudium magnopere celebratum eſt, qvi ſcribendis Victorum Olympicorum nominibus operam dedit, *de qvo vid. Polybius, Diodorus et Suidas.*

X. Diu vero ante tempora Philippi Macedonis, Olympiades receptae et computatae ſunt, ut non fuerit cauſa, qvamobrem Philippus Beroaldus, vir ceteroqvin doctus et diligens putarit, omnes temporum rationes ante Philippi Macedonis tempora dubias eſſe atqve incertas.

XI. In Creta autem, an in Peloponneſo primum inſtituti fuerint ludi Olympici, contrariis pleriqve ſtudiis certant. Non aſſentior V.C. qvi exiſtimat, primos in Certa et inſtitutos, et editos fuiſſe hos ludos.

XII. Primum certamen Olympicum initum eſt anno M. 3208. P.I. 3938. poſt Troiae excidium A. 408. ante N. C. 776, cum Athenis Aeſchylus, Lacedaemone Alcamenes regnaret. Qvi diſſentiunt, rationes turbant, et ex ingenio artem computandae Olympiadis fingunt.